



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando Ecclesiam transimus. Exe. 40

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)



*Oblatio.*

**O**fferemus Deo Patri merita Iesu Christi Redemptoris nostri cum meritis omnium sanctorum: vt per illis interuenientibus, locum aliquem nobis præbeat in regno suo. Offeremus etiam nosmetipfos ad tolerandam omnem famem, cæterasque præsentis vitæ molestias, ne æternam illam satietatem, & domus Dei requiem amittamus.

*Quando Ecclesiam transimus.*

Exercit. 40.

*Gen. 28. Verè Dominus est in loco isto: non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cæli.*

*3. Reg. 8. Ergone putandum est, quod verè Deus habitet super terram.*

*Ibid. Si cælum & cæli cælorum, te capere non possunt, quanto magis domus hæc?*

*Ibid. Domus mea, domus orationis vocabitur.*

**Q**uotiescunque Ecclesiam pertransimus, nisi festinatione opus fuerit, ingrediemur eam, Deumque



que in Sanctissimo Altaris Sacramen-  
to verè præsentem, venerabimur &  
adorabimus: Sancto que illi in cuius  
honorem eadem dedicata est, nos  
humillimè condemnabimus. Siue  
autem ingrediamur eam, siue non,  
exercebimus nos in punctis sequen-  
tibus.

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus. Dei bonitatem,  
qui abscissurus à nobis, semetip-  
sum in sanctissimo Eucharistiæ Sacra-  
mento nobis præsentem relinquit.  
Templa que esse voluit in quibus i-  
dem Sacramentum asservaretur:  
quæ que nobis essent veluti loca refu-  
gij, ad quæ in omnibus necessitati-  
bus nostris perfugium haberemus,  
diuinam que opem imploraremus.  
Quibus etiam Sanctos suos honora-  
ret, quia nominibus illorum eas ap-  
pellari gratum habet: ibi que per me-  
rita & intercessionem eorundem, mul-  
ta singularia dona & beneficia homi-  
nibus exhibet.

*Grat*



*Gratiarum actio.*

**G**Ratias agemus Deo, pro ingentibus illis beneficijs in proxima cōsideratione contentis.

*Confusio.*

**E**Rubescemus: quod tam negligentes & pigri simus in visitandis templis, quodque tam irreuerenter & indeuote in ijsdem nos geramus.

*Petitio.*

**P**Etemus à Deo, specialem aliquam gratiam, qua tum maximè indigerimus, idque per intercessionem & merita eiusdem Sancti, cui Ecclesia dedicata est.

*Oblatio.*

**O**fferemus Deo, omnia illius sancti merita de cuius nomine templum appellatur: diuinamq; maiestatem pro donis atque gratijs eidem concessis laudabimus & glorificabimus.

*Quando Sanctissimo Eucharistia  
Sacramento in plateis occurrimus.*

Exercitium 45.

Bar. 3. In terris visus est, & cum homini-

buz